



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatvs  
Tres spirituales**

**Arias, Francisco**

**Coloniæ Agrippinæ, 1603**

Cap. 33. Quibus medijs mortificandi sint linguæ abusus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59574](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59574)

DE MORTIF. VOLVNT. 339

gua valemus, in ventum verba non defluant, cum iudex discat, de omni verbo orationem reddendam. Otiosa ergo colloquia ad adificationis studiū vertite, quàm celerrimè huius vite tempora fugiant considerate, quàm districtus veniat iudex attendite, hunc ante oculos vestri cordis ponite.

CAPVT. XXXIII.

Quibus medijs mortificandi sint  
lingua abusus.

**I**NTER media ad refrenandam linguam, compitendamque cupiditatem multa loquēdi, primum est, humiliter & constanter à Domino petere donum coëcendæ linguæ. Esse enim donum supernaturale Dei declarat sapiens, dum ait. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare* *Prou. 4.* linguam. Licet enim naturalibus libere arbitrij viribus, interueniente concursu Dei communi, homo debeat cooperari refrenationi linguæ; idcirco enim dicit, *hominis esse præparare animam*, faciendo nimirum quod in se est: tamen quia tam arduum & difficile est membrū illud cohibere, vt om-

*Psal. 141.*

nes humanæ vires satis non sint, nec  
se est ad auxilium diuinum confu-  
re, & magno studio donum deum  
exposcere, dicendo cum *Psal. 141. Pa-  
no custodiam eri meo. & ostium circum-  
stantia labijs meis.*

ALTERVM medium est, defugere oc-  
casiones temporum & locorum, ubi  
homo facilius se solet in nimiam effu-  
dere loquacitatem, vt quando se dedit  
nimix lætitiæ, quâdo plus æquo bibit,  
aut comedit, quâdo ira accensus est,  
quando cum hoc vel illo socio conuer-  
satur. Vt verò non incidat in hæc in-  
moda, subterfugiat vanâ omnē læti-  
tiâ, frugalior sit in cibo & potu, iræ per-  
turbationē comprimat; hi enim sunt  
otiosorum, vanorumq; sermonum so-  
tes. Nec sanè mirum est ei, qui non ca-  
uet occasiones delinquendi, dum scit,  
euenire aliquod malum, siue mortis  
corporalis, vt dum negligit curatio-  
nem morbi, siue spiritualis animæ;  
dictum enim est ab æterna sapientia  
*Vita & mors in manibus lingua.*

*Prov. 12.*

JAM & aliud medium refrenanda  
linguæ appositissimum de celo habemus,  
vt nō antè ad loquendū profiliat  
quis,

DE MORTIF. VOLVNT. 147

quis, quàm secum attentè expenderit, sitné bonum an malum, vtile vel noxium, quod est enunciaturus: quem q; finē & scopum propositum habeat. de inde simul mētē ad Deum erigat, cum desiderio omnia ad gloriā diuinā faciēdi, opem q; & gratiā postulet, vt nemine sermone tuo offendat. ac quod initio sermonis facit, id quoq; in progressu repetat. Et quoniā seruus Dei applicando intentionem suam ad ea quæ eloquitur, facit quod suarum est partium, orandoq; impetrat, vt Deus faciat quod suum est, hoc est, vt gratiā suā largatur, facile obtinebit quod vult, vt non offendat linguā vel Deum, vel proximum, sed potius ædificet. Sic de Nehemia scriptura diuina dicit, cum<sup>2. Esd. 2.</sup> in conspectum regis Artaxerxis venisset, & rex percunctatus eum esset, quid à se peteret? illum orasse Deum cæli, vt sciret quid petendum foret, & tunc petitionem suam proposuisse.

Hoc medium docuit nos spiritus s<sup>an</sup>ctus. *Ne temerè inquit, quid loquaris, Eccles. neq; cor tuum sit velox ad proferendū sermonem coram Deo. q. d. nihil loquaris, nisi consideratè.* Nam vt alibi dicit.

Qui

Prov. 13.

Iac. 1.

Ecc. 12.

*Qui inconsideratus est ad loquendum sentiet mala, hoc est, culpa, & poena, quae inde oriuntur. Atque hoc est, quod per B. Iacobum monuit. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, nec enim loquitur de tarditate, quae quidam inter singula verba prolata respirant, sed de ea, quae contraria est temeritati, quae nulla antegressa consideratione quidvis effutunt, quod in buccam venerit. Idem significant verba illa Ecclesiastica: In os fatuorum cor illorum, & in corde sapientissimum est illorum. Stultos enim vocat inconsideratos & imprudentes, qui cor idem dicuntur habere in lingua, quod loquantur quicquid in buccam venerit, haud secus quam si cor & lingua unum membrum essent. Contra sapientes vocat seruos Dei, qui idem linguam habere in corde dicuntur, quod non alia in publicum efferant, quam quae ante in cordis penetralibus, adhibita in consilium ratione, considerata fuerint.*

Ex hac consideratione omnis recta linguarum gubernatio pendet. Ex hoc fitur, ut verba non sint quovis, sed ne-

DE MORTIF. VOLVNT 348

cessaria & utilia, hinc fit, vt serui Dei  
suis colloquijs pijs & sanctis se & alios  
edificent, & multos ad amādum lau-  
dandumque Deum inflamment. In  
Verbo Dei legimus nūquam apertos  
fuisse cælos, nisi magna aliqua de cau-  
sa, & cum ingenti fructu. Semel aper-  
ti filijs Israhel effuderunt manna cibū  
mobilem & suauissimum, quo ipsi in  
deserto victurunt, alijque multi hoc  
miraculo ad cognoscendum, colendū  
que verum Deum excitati. De quo  
Dei beneficio ait Psalmista. *Ianuas ca-  
li aperuit, & pluit illis manna ad man-  
ducandum.* in baptismo quoque Chri-  
sti patefacti sunt cæli, & vox æterni  
Patris suavissima insonuit, ac spi-  
ritus sanctus in columbæ specie  
descendit. In morte item S. Stephani  
apertis cælis apparuit Christus stans  
ad dexteram Patris, vt significaretur il-  
lum pugnare pro Sancto. Homines in-  
sti in eodem Dei Verbo appellantur  
cæli, qui vt loquitur Dauid, enarrant  
gloriam Dei; cæli inquam spirituales,  
multò præstantiores istis materiali-  
bus. Ianua horum cælorum est os vel  
lingua. Vult itaque Deus, quod æquū

*Psal. 78.*

*Matt. 3.*

*Act. 7.*

*Psal. 8.*

est, nunquā hos cælos patefieri sine  
 ista causa, vel vt emittant manna, hoc  
 est, sermones sanctos, qui ad discipulos  
 solentur audiētes, vel vt descēdat spī-  
 tus sanctus, id est, verba talia vsurpan-  
 tur, quę excitēt animos, vel ad cōpū-  
 tionē de peccatis, vel ad diuinum a-  
 morē, vel certē ad ea virtutum opera  
 quorum beneficio nobis à Deo spī-  
 tus sancti charismata communicāret.  
 Vel deniq; vult patefieri, vt nobis spe-  
 ctandū se præbeat Christus, hoc est, ta-  
 libus nos vti sermonibus quibus, ali-  
 quid patetur ad verā glorię & potētę  
 Christi cognitionē, eorūq; donoriū, qui  
 b' ille cultores suos locupletare solent.

Quod terra exhalet vapores & nebu-  
 las, & aqua stagnans gignat ranas, res  
 naturalis est: quando autem cælum e-  
 mittit vapores & ranas, res extraordi-  
 naria est, & diuina plaga. Sic quod pec-  
 catores rebus huius mundi caducis &  
 fluxis immergi, de rebus vanis & inuā-  
 libus loquantur, & instar ranarum  
 multa, que deum & proximum graui-  
 ter offendant, garriant, mirum non  
 est. Sed si serui Dei, quorum cor defi-  
 xum est in cælis, & vitæ cælestis pro-  
 fecti-

DE MORTIF. VOLVNT. 548

fectionem faciunt, simili sermone v-  
tantur, id mirandum est, & diuinæ pu-  
nitionis argumentum. Vnaquæq; e-  
nim arbor producit fructum suæ natu-  
ræ congruentem: iustus ergò cum sit  
homo spiritualis, homo Dei, homo, in-  
quam, cælestis, meritò etiam loqui de-  
bet de Deo, de rebus spiritualibus, de  
cælo, aut certè de rebus eò collimanti-  
bus, vt omnes magni Dei serui fece-  
runt.

S. GREGORIUS TURONICUS narrat Ni-  
cetium presbyterum, postea Episco-  
pum Lugdunensem, cum alijs virtu-  
tibus, tum hac imprimis excelluisse,  
quod nulla verba nisi sancta & pia si-  
neret ex ore suo elabi. otiosa autem  
vel iocosa nunquam. Imò quod graui-  
ter ferret ad aures suas deferri alio-  
rum dicta contumeliosa etiam in se  
coniecta; aiebat enim non esse au-  
dienda, quæ ex perturbatione animi  
alij effutiuiissent. De S. THOMA A-  
quinate quoq; in vita proditur, cum  
nullum solitum miscere sermonem  
cum alijs, quibuscum conuersabatur,  
nisi de rebus pijs, & ad salutem ani-  
mæ spectantibus: eaque de causa  
orandi,

*Sur. in  
Apr.*

*Sur. in  
Martio.*



346 II. PARS TRACTATVS

*19 confess.*  
*49.*

*Surius in*  
*Junio,*

orandi, & meditandi, consuetudinem non fuisse illi vnquam molestam vel grauem. De S. Monica matre sua ait AVGVSTINVS, quod cum illa colloquia habuerit de rebus celestibus, & admiratione rerum creatarum gradum fecerint ad tractationem de puritate & maiestate creatoris. R. LVTGARDIS, virgo sanctissima, vti commemorat in eius vita Thomas Cantuariensis oculatus testis, simplici oratione & plana de rebus sanctissimis efficaciter loquebatur, vt omnium constantium corda incenderet, & sapientibus magnæ admirationi esset.

Hic perpetuus fuit Sanctorum hominum spiritus, ac proinde merito ab omnibus Dei seruis imitandus. Qui magno per se promoueri potest, si se assuefaciant sermonibus pijs crebris & tractatibus spiritualibus, sic enim in congressibus familiaribus suppetet loquendi materia. Felix profecto & beata anima eius, qui id fecerit: quotidie enim occasiones multorum lapsuum, qui lingue lubricitate committuntur, auerbit: & consuetudine salutaria loquendi

DE MORTIF. VOLVNT. 547

loquendi accumulabit merita, gratie-  
que & gloriæ thesauros in cælis, con-  
uenienter dicto Christi. *Ex verbis tuis Matt. 12.*  
*iustificaberis & ex verbis tuis condem-*  
*naberis* Si enim verba nostra fuerint  
bona & fructuosa, in iustitia accessio-  
nem faciemus: sin inania & perni-  
tiosa, pro grauitate noxx, ad  
infernum vel Purgato-  
rium damnabi-  
mur.

FINIS.



III. PARS